

mantes præsumendum, quia quem constat esse \*reprehendendum magis possunt quàm negare, de arbitrio sensus sui pensitantes deum aliqui, proinde atque si cæcus uel fluitantibus oculis, ideo alium solem præsumere uelit mitiorem & salubriorem, quia quem uideat non uidet. Vnicus sol est, ó homo, qui mundum hunc temperat, & quando non putas optimus & utilis, & cum tibi acrior & infestior uel etiam sordidior atq; corruptior, rationi tamen suæ par est. Eam tu si perspicere non uales, iam nec illius alterius solis, si qui fuisset, radios sustinere potuisses, utique maioris. Nam qui in inferiorem deum cæcutis, quid in sublimiorem? Quin potius infirmitati tuæ, parcis, nec in periculum extenderis, habens deum certum, & indubitatum, & hoc ipso satis uisum, cum id primum conspexeris eum esse, quæ non scias nisi ex parte qua uoluit ipse. Sed deum quidem ut sciens non negas, ut ne sciens retractas: imò & accusas quasi sciens, quem si scires nõ accusares, imò nec retractares: reddens nomen illi, negas substantiam nominis, id est magnitudinis, quæ deus dicitur, nõ tantam eam agnoscens, quantam si homo omnifariam nosse potuisset, magnitudo non esset. Ipse iam Apostolus prospiciens hæretica corda, Quis inquit, cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut ad quem consultauit, aut uiam intellectus & scientiæ quis demonstrauit ei? Cui & Apostolus contradicet, O profundum diuitiarum & soperiæ dei, ut inuestigabilia iudicia eius, utiq; dei iudicis: Et inuestigabiles uia eius, utiq; intellectus & scientiæ, quas ei nemo mōstrauit, nisi forte isti censores diuinitatis, dicentes, Sic non debuit deus: & sic magis debuit: quasi cognoscat aliquis quæ sint in deo, nisi spiritus dei. Mundi autem habentes spiritum, non agnoscens insipientiam dei, per sapientiam deū, consultiores sibimet uidentur deo. Quoniam sicut sapientia mundi stulticia est penes deum, ita & sapientia dei stulticia est penes mundum. Sed nos scimus stultum dei sapientius hominibus, & inualidum dei ualidius hominibus. Et ita deus tunc maxime magnus, cum homini pusillus, & tunc maxime optimus cum homini non bonus. Et tunc maxime unus, cum homini duo aut plures. Quod si à primordio homo animalis non recipiens quæ sunt spiritus, stulticiam existimauit dei legem, ut quam obseruare neglexit, ideóq; non habendo fidem etiam quod uidebatur habere, ademptum est illi, paradisi gratia, & familiaritas dei, per quã omnia dei cognouisset, si obediisset, quid mirum si redhibitus materiæ suæ, & in ergastulum terræ laborandæ relegatus, in ipso opere prono & deuexo ad terram, usurpatum ex illa spiritū mundi uniuerso generi suo tradidit, dūtaxat animali & hæretico nõ recipienti quæ sunt dei? Aut quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum hæresim pronunciare, quod per \*lectionem suæ potius quàm diuinæ sententiæ admisit, nisi quod Adam nunq; figulo suo dixit, non prudenter definxisti me: confessus est seductionem, non occultauit seductricem: rudis adhuc hæreticus fuit, Non obaudi: non tamen blasphemauit creatorem,

\* Fort. sic leg. esse, reprehendere.

\* Leg. electionem.

p nec